Oratio

habita in Lycæo Harvardiano

Anno Lycæi

CLVIII;

III. Kal. Octobris.

De studiis classicis.

Quisquis est, qui scientiæ hodie fortunam viderit, sive philosophus, sive humanitatis cultor, sive denique iste, qui rerum suarum solùm providus, horum omnium est nemo, qui scientiam citò morituram non luget. Eruditionem classicam, nunc labens scientiæ fundamen, diu neglexîmus; ædificiumque Diis atque hominibus secundis pulcherrimum, nunc verò his adversis invisissimum, ad interitum ineluctabile ruit.

At cur laborat contemptu eruditio classica? Quia perpauci ingenio præstantissimi summâ, sine illâ, celebritate usi fuerunt. Inter honesti ordinis homines, apud quos ingenium ostentandi est occasio frequens, quamplurimi, doctrinâ nec instructi nec ornati, quibus nihil est scientiæ veræ, eruditissimi habentur! At his etiam hominibus, quantumcunque eruditionis, quantumcunque celebritatis est, tamen illa deest liberalitas animi, atque ingenium, quæ solummodo consequuntur ex antiquorum studio.

Nec

Nec propter eorum fortunam, qui primis scientiarum rudimentis vix imbuti gloriam consequuti sunt, oportet nos præjudicio erga hæc studia abripi. Numerus horum quantulus! Vel unus fortasse, vel duo, inter sæculum! Omnes certè naturæ beneficia tam præter consuetudinem non debent sperare. Liberalis est natura, non prodiga.

Quum igitur hâc doctrinâ eruditis famæ expectatio, at non eruditis nec quidem potentia, qui honorum cupidi illam non arriperent?

Qui vehementiùs linguarum et Græcæ et Latinæ utilitatem recusant, scriptorum fortunam nostrorum, si illa defuissent auxilia, in animo revolvant. Non dubitabit quisquam linguæ Anglicanæ acquisitionem, per Græcæ ac Latinæ ac omnium denique terræ linguarum notitiam, esse.

Nec tamen verborum modò notitiam ab antiquis scriptoribus accepimus. Ex iis, tanquam ex fonte, effluxêre illa scientiæ flumina, quæ nostris antea mentibus sterilibus tantùm apportavêre fœcunditatis. Magnâ ex parte, quæ hodie appellantur sententiæ novæ, Platonis mens sublimis, aut Aristotelis, aut Ciceronis, creavit. Cogitatione depingite quendam è

nostris

nostris scriptoribus perpolitis, ut Milton, Pope aut Addison veterum scientiâ privatum, atque inter eos suo marte certantem. O! quàm pene graculus inter pavones! Si reddat Milton ex Homero accepta, præterquam verba illius celeberrimi poëmatis "Paradisi amissi" quæ restarent? Quæ ex eruditione classicâ nactus est Addison si detrahas, detraheres simplicitatem illam, quæ huic scriptori clarissimo gloria fuit.

Classicæ eruditionis à fructu ad flores oculos dirigamus. Harum contemplationem satis superque remunerabit delectatio.

Concipite mente quenquam in Addison, Pope, aut Miltonis operibus penitùs exercitatum, ac eorum, tam laudanda, quàm culpanda planè perspicientem. Certior hic fiat Latinos quosdam et Græcos esse scriptores illis Anglicanis pares. An existimaret ille, delectationem ex his studiis eventuram, se ad illa vel duo vel tres annos incumbendo, pretio emere magno? At audiente illo, eorum opera speciem solùm antiquorum præ se ferre, atque horum tam illorum antecedere quàm possit exemplar ullum exscriptum, "ter ævo functum" volet esse Nestorem; nam semel vivere, ad harum usum oblectationum, minimè sufficit.

Nihil ad ineunda aut non ineunda quædam studia

studia magis movere debet, quàm cujusmodi sunt voluptates illa comitantes. Hoc concesso, classica certè studia, quæ "minimè dolore corruptas voluptates, minimè fugacissimas" apportant, omnibus sunt anteponenda. Hæc quoque studia oblectationem quandam plerisque ignotam, atque liberalitatem illam, quæ ab aliis non assequendæ, conferunt.

Ad lectionem principiò nos movet scientiæ spes ac delectationis; deinde quomodo harum vim maximam per brevissime tempus assequamur. Ob duas has caussas legendi sunt antiqui. Præ nostræ ætatis scriptores quantùm illi delectant! ac de docendo omnibus longè aliis præstant; cùmque illi brevissimè dicant, ad eos legendum quoque monet compendium temporis.

His omnibus ad hæc studia impellentibus, quis igitur Milton Homero, vel Pope Horatio, anteponet? Quis aquam biberet contaminatam, quando ex fonte hauriret?

Quæ cum ita sint, quàm aspernitur immeritò eruditio classica? Possintne homines, ædificium æstimantes, scientiæ fundaminis esse immemores? ores?

Quantæ igitur referendæ gratiæ majoribus nostris

tris, qui, rebus adversis minantibus, omnia superabant incommoda, hujusque sedis erant fundatores. "Ferrea "tunc primum scientiæ desiit ætas, ac toto surrexit classico "gens aurea mundo". Eruditionis classicæ, nobilissimi scientiæ fundaminis, institutio gloriam Harvardo "dedit verè immortalem". Deleantur sculpturæ; "abolentur imagines; diruuntur marmora; exeduntur "æra;" sed quamdiu scientia hominibus erit delectamento, tamdiu Harvardi nomen in omnium memoriâ vigebit.

At quantæ quantæ referendæ gratiæ hujusce sedis fundatoribus, fautorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. Nec clarum Harvardi unius nomen. "Proximus huic, longo nec proximus intervallo, insequitur" Hollis. "Silerem que si ego, loquerentur hi parietes, loquerentur hæ ædes," Stoughton Hancock, Hersey, Boylstone et Erving laudantes; cuique est pretii religio, semper lætitiâ Holden commemorabit. "Deerant nobis" delubra; ea, ut nec magis ornatè, quàm commodè, struerentur, curabat Holden.

At dum mortuis habeamus honorem, non obliviscamur vivos. Quamquam omnibus" fundatores anteponamus" ac fautores "nullis postponamus curatores tores

tores

tores. Habent illi præconem laudis, fundamenta; hi, ædificium. Illi prædicant inchoavisse; hi, confecisse. Illorumne incepta priùs miremur, horumne confecta.

Necnon tibi, reverende Præses, vobisque Professoribus, & vobis Tutoribus, maximæ debentur gratiæ. Vestrâ curâ, ac diligentiâ vestrâ, inter alia collegia Americana micat hæc sedes Pieridum augusta, "velut inter ignes luna minores." Quantùm est gloriæ huicce universitati à vobis habet; vobisque ad hæc studia classica impellentibus, in æternùm habebit. Quòd si, ut "nuper sinistra cavâ prædixit ab ilice "cornix" hoc scientiæ columen despiciatur, si ex hoc suo usitato loco depellant antiquos recentiores (Dii talem avertant casum!) tum "excedent omnes adytisque arisque relictis, Dii quibus hoc steterat imperium;" et quò maximâ laude ad cælum evehitur hoc Lycæum, eò summo dedecore ad inferos erit dejectum.


Phillips Library
3 6234 00140779 3